

convenientissime hoc a Christo institutum esse, ut intelligeremus nos per peccatum originale fuisse inquinatos, adeoque per lavacrum aquæ abluendos esse a contractis sordibus. Primum est, quod fit infanti in lucem edito, ut lavetur a sordibus corporalibus. Ut ergo sciatur, nasci omnes cum sordibus spiritualibus peccati originalis, ideo alterum etiam et spirituale lavacrum fuit necessarium: *Quis enim mundus a sorde*, inquit Job, cap. XIV. (juxta Septuaginta interpretes) *etiamsi unius diei sit vita ejus super terram?* Conferitur autem hæc vis *operis*, operatione Spiritus sancti. « Quomodo enim viribus ignis, inquit Cyrillus Alex. l. II. in Joan. intentius aqua calefacta, non aliter quam ignis urit: sic Spiritus sancti operatione ad divinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus absterunt. »

Secundo, ut sciremus necessariam esse novam et spiritualem generationem illis, qui regnum Dei videre volunt. Carnalis enim ex Adamo natiuitas cum ad mortem tantum generet, opus habuit regeneratione altera, qua ad vitam renasceremur immortalem. In cuius rei figuram, Gen. I. cum mundum Deus creare inciperet, Spiritus Domini ferebatur super aquas (seu ut habetur in Hebr. incubabat super aquas quasi nimirum eas fovens ad proles inde educandas, creaturas varias). Allegorice enim significabatur Spiritus s. aquis baptismi quasi incubans, iisque nos parturiens et regenerans, inquit S. Hieronymus, epist. LXXXIII. ad Ocean. Quoniam igitur ex veteri Adamo omnes nascimur filii iræ, ut ait apost. ad Ephes. II. nova generatio fuit nobis necessaria, qua in filios Dei adoptivos gigneremur.

Tertio, ut hac ratione Christi sepulture et resurrectioni conformaremur, cujus merita participamus. Per immersionem enim in baptismo, quodammodo cum ipso consepelitur vetus homo, et per emersionem cum eodem novus homo resurgit: unde apostolus ad Rom. VI. ait: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, etc.* Scribit S. Aug. I. IV. de civitat. Dei, prisecum Romanis morem fuisse, ut infantem mox natum humi deponerent et continuo levarent: unde Levanam deam finxerunt. Ex quo colligitur, etiam apud ethnicos fuisse aliquod schema hujus sepulture spiritualis.

Quarto, ut moneremur spiritualem nobis vitam exinde ducendam esse, et spiritualia consecranda, non carnalia. Ait enim Dominus: *Quod natum est ex carne, caro est. Quod natum est ex spiritu spiritus est*, quasi diceret: Spiritus est ista regeneratio, monetque ut: *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate*

vite ambulemus, subdit apost. ad prædicta verba ad Rom. Quod si carnalem vitam duxerimus, attendamus ad id, quod dixit Deus ad Noe: *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.*

IV. Quid sibi vult illud *Spiritus ubi vult spirat?* Respondeo, ostendere operationem Spiritus sancti in baptismo et similibus operibus invisibilem esse. Quomodo enim venti sibilum audimus, nescimus tamen unde veniat aut quo vadat: sic ignota est spiritualis regeneratio, quomodo opera Spiritus s. fiat: nisi quod videmus hominem, qui paulo ante carnalia tantum et animalia sapiebat ac loquebatur, post operam Spiritus sancti illa fastidientem et nonnisi spiritualia eructantem. Sic mirabantur Judæi, quod apostoli post missionem Spiritus sancti loquerentur variis linguis magna Dei palam et absque timore, qui paulo ante mutire non audebant: unde putabant eos musto plenos esse, Actor. II. sic stupebant omnes, qui audiebant Paulum prædicantem Jesum Christum quem paulo ante persequabatur: *Nonne hic est, inquiunt, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud?* Actor. IX.

V. Quid illud: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo?* Respondeo, verbum illud *ascendit*, esse præteritum temporis, idque requirere contextum sermonis. Dixerat enim Dominus: *Si terrena vobis dico, non creditis: quomodo si cælestia vobis dixerò, creditis?* Moxque subjungit: *Et nemo ascendit in cælum, etc.* quasi diceret: Quomodo cælestia narranti mihi credetis, cum nemo adhuc ascenderit in cælum præter Filium hominis, qui in cælo est, et obtinet cælum, quod alii nonnisi per ascensum obtinere possunt; vel vult dicere: Possem ego vobis cælestia narrare, qui in cælo versor, et quidem adhuc solus, si narranti credere velletis, sicut merito debetis. Deinde, respondet Sanctus Augustinus, Beda et alii, ascendisse quidem Christum in cælos, sed cum membris suis, id est, justis: *Ascendit solus*, inquit Sanctus Bernardus, sermone de ascens. *sed ascendit totus.* Totus homo coronari dicitur, non caput tantum, cum corona capiti ejus imponitur.

Denique, ascendit solus propria virtute, alii assumuntur. Unde Ecclesia Christum ascendisse, beatam Virginem assumptam esse prædicat. Sola enim caro ascendere non posset, evehi deberet; Christus autem Deus et homo est, ideoque solus ascendit.

VI. Quid illud: *Sicut Moyses exaltavit serpentem, etc.* Respondetur tradi hic christianæ vite fundamentum quod est fides. Ut enim nemo morsus a serpentibus ignitis, Num. XXI. sanabatur, nisi per aspectum serpentis ænei exaltati in pertica:

sic nemo salvari potest nisi per fidem Christi crucifixi. Habuit serpens ille formam serpentis, sed non vitam et venenum: ita Christus assumpsit formam peccatoris, sed non peccatum. Fuit serpens ille ignitus, Hebr. seraph (unde seraphim dicti) Christus etiam in cruce igne amoris nostri arsit. Serpens ille grandis et exaltatus fuit, ut omnibus esset conspicuus: ita Christi crucifixi

gloria pervenit ad omnes gentes. Fuit serpens ille æneus: sic Christi heri et hodie et in sæcula. Serpens ille aspici debuit, ut serpentum morsus sanaret: ita Christus per fidem, contritionem et dolorem contemplandus: *Non te pigeat*, inquit S. Bernardus, *videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre Regem in solio residentem.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MAGNA BONA IN CRUCE ABSCONDITA.

I. In cruce summa gloria. — II. In cruce solatium et remedium tribulationis. — III. In cruce asylum et refugium peccatorum. — IV. In cruce præsidium contra hostes. — V. In cruce sapientia. — VI. In cruce signum electorum.

THEMA.

Ita exaltari oportet Filium hominis. Joan. III.

De Tiberio secundo imperatore scribit Paulus diaconus, l. XVIII. de gestis Rom. eum postquam bona sua magna ex parte in pias causas erogasset, domi in palatio obambulante invenisse in pavimento tabulam marmoream, cui signum crucis insculptum erat. Quam cum ob honorem crucis elevari præcepisset, sub ea alteram similem, et sub hac tertiam eadem cruce insignitam reperit. Quibus omnibus sublatis, thesaurum invenit maximum ad coronatorum fere millionem. Celebramus hodie festum inventionis sanctæ crucis, quam ingenti cum gaudio reperit Jerosolymis, postquam ea ad trecentos fere annos jacuit sepulta, mater Constantini Magni, S. Helena; et celebramus simili gaudio. Sed quæ hæc, dicit aliquis, gaudii materia? Ob inventam crucem? Quid enim crux nisi horror et amaritudo? At sciendum est latere sub hac cruce maximum thesaurum, non pecuniarum, sed gratiarum. Quem sane agnovit inter alios sanctus pater noster Ignatius, qui cum aliquando Salmanticæ præter omnem culpam carcere inclusus detineretur, acceptis literis commiserationis et consolationis plenis a sacratis Deo virginibus, respondit eis: « Miror vos, quibus crucis Christi mysterium pertractatum esse oportuit, immensos gloriæ thesauros in cruce inclusos ignorare. Ego quidem gaudeo quæd majora et graviora pro Christi nomine sustinere dignus inveniar, » Ribad. lib. I. c. XV. vitæ. Vi-

dit ergo hic sanctus pater latentem in cruce non unum, sed plures thesauros. Sed quinam illi thesauri? Conemur et nos quoque eos investigare: quod hic faciemus.

I. In cruce latet summa gloria, adeo ut Sanctus Paulus ad Galat. c. VI. nulla alia in re, nisi in cruce gloriari velit: *Mihi autem absit gloriari*, inquit, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* In quæ verba Sanctus Augustinus, serm. XX. de verbis apostoli, ait: « Poterat apostolus, gloriari in sapientia Christi, et verum diceret: poterat in majestate, poterat in potestate, et verum diceret; sed dixit: *In cruce*: ubi mundi philosophus erubuit, ibi apostolus thesaurum reperit. » Quis vero hic gloriæ thesaurus?

Primo, ingens ille Dei amor et benevolentia, qua nos adeo dilexit et tantæstimavit, ut crucis opprobrio redimere non dubitaret. Quis enim non duceret sibi honori, si captivus factus in prælio, redimeretur a suo duce vel imperatore quantacumque auri summa? Anniceris Cyrenaicus captum ab Æginetis Platonem et morti adjudicatum, viginti minarum (hoc est quingentum flor. Brabanticis) pretio redemit, et Athenas in patriam remisit. Quam pecuniam cum ei postea Plato remisisset, doluit Anniceris quod non majore summa Platonem redemisset, quam reddere is non posset. Tanti nimirum Platonem æstimavit, Laert. libro III. Pontan. de liberal. capite XXIV. Erat certe hoc non parva Platoni gloria. At quid hoc respectu illius pretii, quod pro nostra redemptione exsolvit Dei Filius, quodque tantum est, ut nullo alio pretio, etiam totius mundi compensari aut restitui queat? Quanti ergo putatis nos æstimavit Deus? Solemus res etiam viles a rege et imperatore nobis donatas in pretio habere eaque ostentare, in signum regiæ aut Cæsareæ erga nos benevolentia. Cum Bernardus Saxoniam ducatu ab imperatore investitus esset, projecit ex obliquo imperator rubeam coronam (ut erat coronatus per æstum) in clypeum Bernardi supplicantis. Eam Bernardus

V. PARS FESTIVALIS.

velut maximum donum in insignia sua reposuit, gestatque adhuc Saxonica domus, Crantz. libro V. Saxon. capite XXV. Christus Dei Filius prolirosam illam crucem, quam amore nostri gestavit, et ambobus brachiis amplexus est, in signum amoris sui nobis reliquit: quomodo ergo non gloriari in hac cruce possumus? Quomodo non eam summe amare, in fronte nostra pingere, et coram toto mundo ostentare?

Secundo, est nostra cum Christo conformatio et quaedam assimilatio, si et ipsi crucem feramus pro ipsius amore. Quis non ducit sibi honori similem esse regi aut imperatori suo? Habere eadem cum illo insignia? Eadem experiri fortunam? Similem vestitum, honoris titulum gerere? Duxit sane Theophilus ille, a Sancta Dorothea virgine et martyre, per rosas sibi e caelo ab ea transmissas, conversus. Hic enim cum ob fidei confessionem in equuleo suspensus esset, dixit: *Ecce modo factus sum Christianus*, (quasi dicat: Christo assimilatus) *quia in cruce suspensus sum. Equuleus enim crucis quamdam similitudinem gerit. Gratias tibi ago, Christe, quia in signo tuo levari me permisisti.* In vita Sanctae Dorotheae, 6. febr. apud Sur. Qui versus septentrionem navigant, buccinae: qui versus meridiem, crucis constellationem praeculis habent. Quae illi gloriam in buccina secularis praeconii, qui ad noctem stygis tendunt: nos qui ad diem aeternitatis pergitur, gloriam in cruce quaeramus, et crucem adamemus. Notum esse arbitror servorum Tyriorum factum, qui cum per rebellionem subjugatis sibi dominis suis, eum regem statuere decrevissent, qui primus orientem solem conspexisset (auct. Justino, lib. XVIII. hist.); et caeteri quidem omnes orientem spectarent, unus sapientior ad occidentem oculos direxit, ubi ex radiorum, in montium cacumina incidentium, reflexione ortum solis denuntians, rex es creatus. Spectent orientem mundi sectatores, spectent honorum titulos, principum favores, dignitates, cathedras: nos occidentem respiciamus crucis ignominiam; in hac lucis divinae gloriam contemplantes, regni caelestis gloriam consequamur.

H. In cruce latet solatium ac remedium pro iis, qui in tribulatione sunt. Quis enim non libenter ferat crucem leviusculam, imo etiam gravem, quando cogitat Dei Filium propter ipsum tulisse gravissimam, summa cum patientia, amore, et charitate? Ignavus est miles qui ducem praecuntem gemens sequitur. Typus crucis fuit lignum illud, quod ostendit Deus Moysi in deserto, ad dulcorandas aquas amaras, Exodi XV. teste Cyrillo Alex. Sentit vero Abulensis lignum illud *adelpa* vulgo nominatum, atque ex se amarum

ac mortiferum fuisse: et tamen amaro illo ligno correctae et induloorate sunt aquae amarae. Sic ex viperæ veneno fit theriaca, antidotum veneni: sic serpentum ictus sanantur serpentum extis impositis, teste Plinio, libro XXIX. capite IV. Quid amarior et lethalior ipsa cruce, quae Dei Filium tam dire cruciavit adeoque enecuit? Ad hanc tamen facta est solatium atque impatientiae antidotum omnibus tribulatis, quin et ipsas tribulationes dulces atque amabiles facit, dum revocat in memoriam, in ipsa pependisse Dei Filium. Hac de causa latro bonus magna cum aequanimitate crucem suam pertulit, quod videret in eodem tormento iuxta se pendere Christum innocentem.

Ad hanc, quemadmodum crux Christo quidem mortem, nobis autem vitam peperit; sic et tribulatio corpori quidem afflictionem, animae vero salutem affert. Videtur cauterium esse vulnus, quia carnem erodit ac vexat; interim tamen remedium est vulneris, et vitam conservat: ita etiam tribulatio mala esse patet, et tamen mali remedium est.

Denique, uti crux primum Christo quidem ignominiam, postea tamen immortalem attulit gloriam; ita etiam tribulatio hic quidem deprimat, postea tamen aeternam gloriae pondus operatur. Moyses, dum infans domi servabatur, sine honore fuit; quando in flumen projectus, tunc: *Factus est in honore*, ut ait Sanctus Chrysostomus, homil. LIV. in Act. quia in aulam Pharaonis assumptus. Idem docet de Aarone; qui, postquam contra eum insurgerent aemuli, clarior evasit in florente virga sua: idem de tribus pueris injectis in fornacem; de Daniele misso in lacum leonum, e quibus illustriores prodierunt. Unde subdit: « In malitia idem evenit, ut si quis calamum habens, praecietur contra ignem, et videatur quidem verberare ignem; ignis autem clarior fit, et calamus consumitur. Alimentum enim et fomes claritudinis est malitia virtuti. »

III. In cruce est asylum et refugium peccatorum. Contingit saepe aliquos ita in profundum peccatorum immergi, ut rationem emergendi nullibi inveniant. Supra se vident iratum sibi Deum; infra se tartarum apertum; ante se difficultatem emendationis ac poenitentiae; retro peccata praeceterita gravia et quam plurima; intus vermem conscientiae cor lancinantem; foris daemones impugnantem; denique se nudatos omnibus bonorum operum meritis. Quid agat in hoc statu peccator? Quomodo assurgat? En ipsi baculum crucis, quo se liberare poterit, si nimirum cogitet in cruce expiata esse nostra scelera, qualiacumque et quantacumque, nec aliud requiri ut

assurgat, quam ut baculum hunc duabus manibus fidei et spei fortiter apprehendat, et conatum aliquem, contritionem scilicet, adhibeat; sic in pedes sese eriget. Hic est baculus ille Jacobi, in quo Jordanem transivit, equidem pauperrimus; sed cum duabus turmis, familiae et pecorum dives regressus est, Genes. XXIII. Unde merito S. Damascenus, lib. IV. de fide orthod. cap. XII. ait: « Crux jacentium excitatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscientium adminiculum, etc. » Ecce tibi Davidem lapsum in adulterium, post in homicidium, non unius Uriae, sed et aliorum plurium, qui Ammonitarum gladio simul cum ipso caesi sunt. Taceo inebriationem Uriae. Et hic tamen duo tantum protulit verba poenitentiae: *Peccavi Domino*; et (ex anticipatis Christi meritis) mox veniam obtinuit. Ipse quidem nescius in seipsum sententiam mortis tulerat: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui hoc fecit.* Deus autem ad illa duo verba dicit ei: *Non morieris.* Audierat David accusari hominem divitem, non de adulterio, non de homicidio sed quod ovem solum pauperi per vim abstulisset: et continuo, eum pronuntiat mortis reum. David vero convictus fuit adulterii et homicidii: et ad unum gemitum condonatur ei peccatum, et poena aeterna commutatur in temporalem, eamque valde levem. Unde Sanctus Augustinus, hom. XLI. « David, inquit, clamavit dicens: *Peccavi*, et mox audivit: *Dominus abstulit peccatum tuum*; tantum valent tres syllabae, tres syllabae sunt *peccavi*: sed in his tribus syllabis flamma sacrificii coram Domino ascendit. » Ubi tanta clementia reperitur in mundi tribunalibus? Ibi, licet reus veniam petat, licet lacrymas fundat, licet satisfactionem spondeat et emendationem, ad poenas tamen trahitur. Non ita in tribunali Christi: et unde hoc, nisi per crucem Christi?

IV. In cruce est praesidium contra hostium incursus, invisibilium praesertim, qui nobis undique insidiantur. Testantur id passim ss. patres, uti Sanctus Antonius instruens discipulos: « Signum crucis, inquit, et ardens in Christum fides inexpugnabilis, sunt viris Deo dicatis et aeneus murus adversus daemorum machinationes: » et Sanctus Chrysostomus, hom. LV. in Matth. « Hae crux, inquit, non terribiles, sed despicabiles hominibus daemones effecit: » et paulo superius: « Si hoc modo (magna scilicet fide in mente prius eam formando) eam faciei tuae impresseris, nullus scelestorum daemorum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congradi tecum audebit. » Quinetiam nomen crucis et crucifixi

magis horrere videtur, quam ipsum nomen Christi. Refert enim Baudemundus, in vita Sancti Amandi episcopi Traject. apud Surium, 6. febr. spiritum immundum aliquando unum ex ejus famulis apprehensa manu traxisse ad mare, ut eum ibi demergeret: « Sed idem puer, qui trahebatur, raagnis cepit vocibus clamare, dicens: Christe adjuva me, Christe adjuva me. Mox malignus spiritus eidem puero insultando respondit: Qualis Christus? Sed dum puer, qui trahebatur, minime responderet, ait Sanctus Amandus: Dic illi, fili: Christus Filius Dei vivi crucifixus, statimque ad vocem illius inimicus ut fumus disparuit. » Hinc consulto apostolus cum dixisset: *Non judicavi me scire aliquid, nisi Jesum Christum*, addit: *Et hunc crucifixum*, I. Corinth. II. Consonat huic rei quod in vita Sanctae Mariae Magdalenae legitur. Ea enim stipata et tentata a malis spiritibus, Jesum inclamavit, et enmox adfuit Sanctus Michael, qui eos fugavit et contra eorum incursus crucem in ore speluncae erexit, quasi Jesu crucifixi nomen plus posset contra daemones, quam solum Jesu nomen. Nec mirum; quia in ss. litteris plures appellantur Christi et Jesu nomine, crux id determinat ad Salvatorem. Imo non modo ipsa crux, sed etiam umbra et typus ejus terror erat daemoni. Quarunt enim doctores, qua ratione cithara Davidis fugare potuerit a Saule spiritum malum, cum natura sua agere in spiritum non posset. Respondent ergo Beda, Eucherius et Angelomus: « Malignum spiritum, qui operatur in Saule, compesuit: non quod cithara illius tanta virtus erat; sed figura crucis Christi, quae de ligno et extensione nervorum mystice gerebatur. » Peculiari quadam sapientia praeditum est ranarum Aegyptiarum genus. Si enim in hydram Nili alumnum incidat rana, subito demordet frustum arundinis, et in obliquum gerens, mordicusque tenens, non remittit pro virili parte: ille vero ranae cum ipsa arundine deglutire non potest; non enim tantam oris amplitudinem habet, quantum arundo extenditur: sic rana evadit hydram. Nili instar mundus est, hydram daemones instar; rana Aegyptia prudentem Christianum, arundo designat crucem Christi, quam si quis fortiter apprehenderit, nunquam in inferni alastoris potestatem deveniet, ita Causin. I. VIII. symp. c. XV. Caeterum si ab hydro illo stygio securi esse volumus, non quomodo cumque, sed oblique et secundum latitudinem apprehendamus crucem, hoc est, magna et ardente fide, ut diximus ex S. Antonio et Chrysostomo.

V. In cruce latet sapientia. Est enim crux quasi liber summam omnis sapientiae continens, docens

nos primo, Dei erga nos amorem et benevolentiam, qui adeo quærat non perditionem sed salutem nostram, ut pro ea mortem crucis sustinere voluerit. Secundo, dignitatem animæ nostræ, quæ tanti apud Deum valuit, ut eam sanguine suo emere non dubitavit. Si enim vilis, aut mortalis esset anima hominis, quomodo eam Christus tanti redemisset? Tertio, præstantiam virtutum tamquam verorum ac solidorum bonorum, humilitatis, paupertatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis, etc. quas in crucis cathedra docuit nos magister cælestis, velut disciplinas cælo dignas. Quarto, contemptum mundi, et quæ in eo sunt, fluxarum rerum, opum, honorum, voluptatum, quas fugit et per crucem fugavit ac contrivit Christus. Quinto, gravitatem peccati, quæ tanta est, ut non nisi per crucem et mortem Filii Dei potuerit expiari. Sexto, gehennæ acerbiteriam, pro cuius extinctione Dei Filius innocentissimus tanta pati debuit: lignum viride, ob alienam culpam; non aridum, ob propriam. Septimo, magnitudinem gloriæ et pretiositatem margaritæ cælestis, quam tot tormentis emere Christus non dubitavit. Denique, si viam cæli cognoscere quis velit, eam monstrat crux, regia ad cælum via. Quam ob causam antiqui Christiani in bivis plerumque et viis publicis erexerunt cruces. Quid super hæc amplius requiramus ad veram sapientiam? Hinc ergo S. Bonaventura, magnus ille docior, rogatus, unde tantam hausisset sapientiam, Crucifixum ostendit, osculis pene attritum, velut unicum librum et fontem suæ scientiæ.

VI. In cruce latet character et signum electorum. Quisque enim ex horum numero esse vult, crucem gestare, et quidem patienter atque hilariter debet, non in fronte solum, sed in corde quoque et animo. Hoc est illud thau, figura crucis scribi solitum ab Hebræis, Dei jussu inscriptum in frontibus virorum gementium, quo servarentur a gladio percipientium, Ezech. IX. *Hoc et postes domorum in Ægypto signabantur*, inquit S. Hieronymus, in Isa. LXVI. *quando, pereunte Ægypto, solus Israel mansit illæsus*, quasi sanguis agni tunc ab Hebræis occisi, postibus illitus fuerit in formam crucis, Exod. XII. Hoc signabuntur Christiani tempore antichristi, ut ab illius bestiæ asseclis distinguantur, Apoc. VII. Hoc ergo est signaculum amicorum Dei atque electorum. Quam ob causam Dei servi non modo non aversantur crucem, persecutionem et tribulationem, sed in ea gaudent; ac si forte nullam habeant, precibus a Deo efflagitant, nec tolli eam a se rogant, sed augeri; quia norunt eam esse tesseram salutis: norunt Deum addere gratiam, ut ferre eam possint: norunt per crucem crescere patientiam et

roborem animi, accendique charitatem, sicut aqua calcem. Sic orabat Sancta Theresia: *Domine, da aut pati aut mori*: Sanctus Xaverius in naufragiis: *Domine, ne auferas a me hanc crucem, nisi des majorem*. Mirum quid de aurea quadam cruce, cui prodigio margaritæ inserta est, refert Sanctus Gregorius Turon. libro I. de glor. mart. quæ justis quidem et innocentibus apparet splendida et clara; injustis vero et peccato obnoxiiis atra et obscura. Cui igitur crux videtur clara, hoc est, et amabilis, hunc electum ostendit: cui vero atra et horrida, proscriptum. Mirum a solo protomartyre Stephano visum esse Christum in cælo, et non ab ejus lapidatoribus: *Soli apparebat*, inquit Sanctus Augustinus, serm. CXCII. de diversis, *et alii non videbant*. Quia scilicet Dominus characterem suum in fronte ejus posuerat, ut ibi ait Augustinus. Quisque ergo Christum in cælo regnantem videre vult, videat ut characterem hoc signatus sit.

CONCIO II.

CRUCEM CUR PRÆFERAMUS IN PROCESSIONIBUS ALIISQUE ACTIONIBUS PRÆMITTAMUS.

Crux processionum ductrix. — I. Quia est clavis cæli. — II. Quia est vexillum nostrum. — III. Quia est scutum nostrum. — IV. Quia est exemplar vitæ nostræ. — V. Quia est dux processionis nostræ ad sepulcrum.

THEMA.

In columna nubis ductor eorum fuisti. Nehem. IX.

Antiquissima Christianorum consuetudo est, crucem præferre in processionibus. Refert enim Nicephorus, lib. XIII. cap. VIII. ex Socrate et Sozomeno id factum esse in processione, tempore S. Chrysostomi celebrata. Marcus diaconus in vita S. Porphyrii idem testatur de processione Gazensium: « Facto mane, inquit, accepto signo venerandæ crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus cum hymnis ad antiquam ecclesiam, etc. » Similiter Sanctus Gregorius Turonensis, lib. V. cap. IV. idem confirmat, et patres V. Synodi, *Vadimus crucem portantes*, inquit, *crucigerum da nobis*, ut plura taceam. Adeo enim id certum et antiquum est, ut Germani veteres hanc hebdomadam a crucibus, gestari in processione solitis, denominarint: *Crucis hebdomada*, et processionem ipsam dixerint: *Crucis processionem*, cujus cæremonia typum luculentum præmisit olim Deus, quando Hebræis per desertum peregrinantibus ducem itineris, agmen præcedentem, dedit

columnam nubis, Exod. XIII. Neque vero credendum Ecclesiam id fecisse nullis rationibus ad hoc permotam; quin potius vere magnis, et salutariibus: quas hic investigabimus.

I. Prima est, quia crux (repræsentans crucifixum) est clavis cæli, aditum precibus et operibus nostris reserans ad Deum, juxta id Isa. XXII. *Dabo clavem domus David super humerum ejus*: et ita appellatur a Sancto Chrysostomo, homil. de divite: ab Augustino vero in Ps. XLV. *Fons et origo totius salutis nostræ*; a qua etiam preces nostræ omnes suam vim et efficaciam obtinent: sine ipsa inanes futuræ; licet palmas ad sidera tollamus, psalmos et melodias canamus, in cælum clamemus, aras transiliamus et cultellis nos incidamus cum sacrificulis illis Baal, III. Reg. XVIII. Quam etiam ob causam olim (uti et nunc plerique) Christiani omnes actiones suas a signo crucis inchoabant, teste Tertulliano, lib. de corona militis, c. III. et IV. « Ad omnem (inquit) progressum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, fortem crucis signaculo terimus. » Adhuc etiam pii quique suis scriptionibus, profectionibus, aliisque actionibus crucem præfigunt, quasi eo duce muniti rem feliciter effecturi. Justum plane est ei dare primum locum, a quo quis suam expectat fortunam: quod et subditi præstant suis principibus, et ipsa bruta animalia, uti apes et græves suis ducibus principem locum. Idem Tertullianus, in apologetico adversus gentes, cruces appellat *intestina trophæorum*. Solebant enim gentiles spolia hostibus detracta affigere ad stipites lignis transversis, in modum crucis formatos: *Sed et victorias adoratis*, inquit, *cum in trophæis cruces intestina sint trophæum*. Sed illi non tam cruces, quam trophæa, venerabuntur: non autem crucem potius, quam trophæa hoc est, opera et victorias nostras de carne, mundo, dæmone obtentas, necnon et merita nostra veneramus: hæc enim cruci adscribimus, cruci affigimus, veluti radici omnium nostrorum meritorum et gratiarum, et dum eam in processionibus præferimus, toti mundo contestamur. Scribit Cedrenus, in Basilio imperatore, Christianos cum Manichæis depugnantes olim in clamare solitis: *Crux vicit*. Idem nos clamamus tacite, dum crucem in altum erectam nobis anteferimus. Non enim cum Julio Cæsare dicimus: *Vidi, veni, vici*, sed Christus vicit, crux vicit. Nam ut bene Sanctus Leo, sermone de passione, ait: « Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur

virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. » In cuius rei figuram Jacob patriarcha benedictionem filii Joseph decussatis manibus, seu in formam crucis positus, impertivit, Genesis XLVIII. ut observavit Tertullianus, l. de baptismo, capite VIII.

II. Quia est vexillum nostrum, sub quo militamus; et signaculum, e quo dignoscimur et discernimur ab infidelibus et hæreticis: quo et fidem nostram publice protestamur. Docuit hoc exemplo suo Constantinus Magnus, qui postquam Christo nomen dedit, labarum seu vexillum in crucis figuram efformatum præferri suis exercitibus mandavit, coram toto mundo Christianum se protestans et crucis sectatorem; ut est apud Eusebium, libro IX. hist. capite IX. libro IX. vitæ Constantini. Nemo nescit militibus præferri suum vexillum, ut præ oculis id habentes, strenue sequantur, velut sacramento ipsi adscripti. Nos etiam cruci Christi in baptismo nos addiximus; jure igitur eam vexilli instar præferimus. De hoc vaticinatus Isaias, capite XI. ait: *Levabit signum* (hoc est, vexillum crucis, ut exponit Sanctus Basilius, in comment. ejus loci in Isa.) *in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ*. Quale hoc signum, nisi crux, quæ sicut quatuor habet cornua, quasi in quatuor mundi plagas extensa; ita a quatuor mundi plagis convocavit ad se gentes, ut sub ipsa militarent? Sic enim locum illum explicat Basilius et Albinus, lib. de divinis officiis in officio parasceve: *Crux*, inquit iste, *jacens quatuor appetit mundi partes, quia Christus per passionem suam omnes mundi partes ad se traxit*: et Sanctus Hieronymus, in cap. V. Marci: *Species crucis*, ait, *quid est nisi forma quadrata mundi?* Ejus typum præmisit Deus in signo illo thau, quo virorum gementium frontes (adeoque loco sublimi et conspicuo) consignari jussit, ut iis parceretur a percussoribus angelis, Ezech. IX. Habet enim littera illa T figuram crucis. Monet ergo crucis vexillum omnes fideles sacramenti præstiti, ut sub vexillo isto fideliter Christo militant contra Satanam et pompas ejus, neque ullam societatem cum eo unquam ineant, ne ad hæreses, magos vel ariolos ulla ratione deflectant, sed mori potius velint. Ad hæc levare in altum hoc vexillum debent, non per terram trahere: ita videlicet, ut ne erubescant Crucifixum, sed in eo gloriantur, publica quoque pietate se ejus milites protestentur, uti monet Sanctus Gregorius Nazianzenus, tract. de diversis vitæ beatitudinibus: *Beatus*, inquit, *qui facultatibus omnibus copiosus suis Christum emit, ac pro omnibus opibus crucem*